

res spectat. academias Plaza in Chronicis lib. 1. cap. 13. num. 135. & cap. 17. n. 161.
 127. ILLMUS. D. ALPHONSUS DE MUÑOZ, Natione Mexicanus, claris sanguine genitoribus Mexici natus, apprimeque eruditus, tanto plausu in Sacra Theologia Doctor est creatus in Mexicancnsi Academia, ut non multo post ejusdem regendis Cathedralis fuerit admotus, donec omnium tenuerit apicem Primariam Theologiæ. Hanc aliasque postquam totos viginti sex annos moderatus egregie fuerat, & viginti quidem spatio annorum Antecessorem Perpetuum egerat, ut statutis cautum est pro eo qui Emeriti honorem eximium optaverit, id tandem decretum fuit Nostro à Confessu academico die 23. Augusti anno 1613. nec sine multa laude, quam ob præclare navatam operam promeruisse, Judices ipsi testati fuere. Cæterum & si eo in primis privilegio gaudeant Emeriti, ut quiescere deinceps possint, & emolumenta percipere, cu retroacti fructus vicenarij laboris, eo Noster uti decretauit, quotidianasque prælectiones intermisit numquam, quo usque ægra præpedius valetudine Regens ipsi iussus est vir amplissimus D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, qui Archiepiscopus Mexicanus evasit, ut suo scriptum loco. Noster quod peritiæ in Theologia summæ, haud vulgarem in rebus gerendis pru-

dentiam conjunxerit, virtutibusque & moribus fuerit conspicuus, multis etiam fuit auctus honoribus, Academia ipsi Pro-Cancellario datus est, & Canonicatu & alijs in Metropolitanâ Ecclesiâ dignitatibus fuit, primamque Decanatus emeruit, è qua in Ecclesiam Chiapensem Episcopus à Rege Catholico destinatus, atque à Sede Apostolica electus, priusquam sacrari pro Pontificali munere quiverit, diem obiit extremum. Scripsit quidem multos

Ad Scholasticam Theologiam Spectantes Tractatus, quos tamen indicare signatius impedit qui tenuerat ea ætate mos, parum equidem accuratus, quo de meminimus in V. Alphonfus de Cuevas Davalos. Harum Lectionum, ut dicunt, Nostri multa cum ejusdem laude Plaza scripsit in Chronicis Universitatis lib. 3. cap. 16. n. 80 & 163. Ipsum præterea commendant M. Petrus Salguero, Augustinianus, in vita V. M. F. Didaci Basalenque fol. 10. col. 2. Balthasar à Medina in Chronicis Nudipedum Provinciae S. Didaci Mexicanæ fol. 239. col. 2. Aegydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ de Chiapa fol. 200. Author Allegationum pro Clero Angelopolitano fol. 80. col. 2.

128. F. ALPHONSUS DE NOREÑA, Natione Hispanus, Patriam, ut conjectura est Criticorum qui Scriptores Prædicatorum Ordinis adornarunt, in Urbe No-

reña Ovetensis Diœcesis in Asturibus, Domicilium tandem in regione Mexicanensi sortitus fuit. Apud Pincianos Jurisprudentiæ operam dedit ante quam nomen Dominicanis, quibus ibidem professione se adjunxit. Sacro Diaconatus ordine initiatus, F. BARTHOLOMÆO DE LAS CASAS, ejusdem Ordinis viro clarissimo, Episcopo Chiapensi, Apostolicos milites conscribente pro nuper Ecclesiæ dedit illius regionis Indis, eis qui se itineri accinxerant socium se addidit anno circiter 1544. Eo apulsus, & in Provinciâ S. Vincentij adoptatus, idiomatibus addiscendis conatus & ingenium applicuit, tanto quidem fructu, ut præter Mexicanum, tria, ut minimum, exactè callerit, loquereturque expeditisimè. Nec propterea Theologicis se studijs subduxit, imò eximios ea potissimum in parte progressus fecit, quæ ad dirigendos mores spectat, quod excultus utriusque sanctionibus juris late patentissimam Facultatem ubèrius cursarit & fuffius. Socius Vicarij Provinciae F. THOMÆ DE CASILLAS, qui ad infulas dein Chiapæ promotus fuit, regendis & ipse Cænobijs varijs admotus Dëffinitorque in Comitijs multis electus, demum in his quæ Goatemalæ coacta sunt 18. Januarij anno 1580. Provinciae caput renunciatus, diligentissime eidem invigilavit. Vir erat sane doctissimus, adeo ut in arduis quibusque negotijs Indiarum con-

sulceretur, allegareturque non sine laude ab id temporis scribentibus, & posteris etiam, quamvis nulla typis vulgarit opera, multo in pretio habitus ejusdem Mss à nobis recenlendis.

129. Nec religiosæ observantiæ vitæ minus erat conspicuus, ut subinde ardens unâ & lucens omnium in se amorem pertraxerit, Indis, quorum saluti egregie prospexit, acceptus, Hispanis haud ingratus, dignusque qui, Ecclesiâ Chiapensi vacante obitu nominari supra CASILLAS, ipsam rexerit toto septennio ab anno 1567. ad usque 1574. annuente Capitulo, Catholicoque Rege indicante, quo usque ILLM. PETRUS DE FERIA Episcopus ei fuerit datus. Hinc delusus ÆGYDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theatro ejusdem Ecclesiæ fol. 195. ejus inter Prælatos Alphonsum cenlet, qui tamen id muneris haud obtinuit, ut animadvertunt Scriptorum Ordinis Prædicatorum Collectores accuratissimi, anno 1590. p. 295. satisque sit liquidum non a silentio tantum diligentissimi Remessalis, qui ejus acta assert in Historia dictæ Provinciae pp. 697. & 698. sed ex his clarius quæ de ejusdem morte tradidit ibidem. Annis siquidem provecus, in Conventum Civitatis regalis, quæ primaria est regionis, recepit se, libris vacaturus legendis scribendisque, per inde quasi vegetæ & florentis ætatis. Gravi tandem pressus infirmitate ad proximam

ximam se mortem ut pararet, generalem totius vitæ exomologesim instituit, atque in Templum & cella descendens, Sanctissimo muniti Viatico postulavit, quo sumpto, & gravissimâ Hispanos adstantes concione, de fluxis Mundi rebus despiciendis, vehementer admonitis, conclave repetijt, quas præ manibus habebat scripturus opellas: tum paulatim viribus destitutum se sentiens, extremo intungi Oleo sacro petivit, quo Ecclesiastico Sacramento donatus, rursus è lecto scripturus surrexit, momentibusque ut isthæc jam finiret, quibus præfens agendis tempus opportunum haud esset, dignam religiosò juxta ac sapienter viro sententiam protulit: Oportere Dominicanum, cui Deus indulgeret spatium, Libris immori, seque Apostolo Paulo studere, reputareque mori lucrum. Tandem decumbens viribus destitutus, cum Socius ab ipso quæreret, num signo facto Religiosos pro eo juvando in extremo agone vocaret, tres adhuc reliquas sibi esse horas reposuit, seque, ne molestus esset Fratribus, opportuno tempore vocaturum: quo accedente, ipse ut deducerentur indixit, quibus lectum ambientibus, & secundò preces pro morituris recitantibus, Deo, pro cuius honore laboraverat, animam tradidit. Multa quidem, ea que pro eo tempore Indis utilissima, scripsisse refert Remesalium, quæ apud se stare Mss addit, &

è quibus nos quæ extant modò in Bibliothecâ Antequerensî PP. Prædicatorum notabimus. Latino sermone quæ sequuntur sunt exarata:

Quæ in Capitulo Provinciae suæ de Chiapa anno 1568 die 23 Januarij in Cænobio de Cobân Veræ Pacis sub Fr. Dominico de Lara Provinciali, communibus suffragijs fuerunt circa varios conscientia casus agitados conclusa & determinata, collecta & notis illustrata. Incipit Tractatus his verbis: *Zelo animarum accensi, &c.* apud Remesalium & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

De Privilegijs in communi: Cujus exordium ita habet: *De privilegijs Fratrum in particulari tractaturus, convenientissimum duxi aliqua notare de privilegijs in communi.* Scribebat Tractatum hunc anno 1568. apud Remesalium.

Recopilatio, Compillatio, aut Collectio privilegiorum, quæ ab anno Domini 1493. usque ad annum 1562. Pontifices Romani concesserunt Fratribus mendicantibus, Prælatisque eorum in Indiarum Provincijs Ecclesiam hanc novam adjuvantibus. Tractatum hunc scripsit in Conventu Mexicano, absolvitque in per vigilio assumptæ in cælum Virginis anno Domini 1568. pro ut ipse annotavit in calce Libri, qui extabat anno 1746. Antequeræ Goaxalencium in Conventu S. Dominici apud M. Fr. Leonardum Levanto.

Collectio privilegiorum quæ ab anno 1532. Magistri Generales Ordinis

nis Prædicatorum concesserunt Prælati Fratribusque in Capitulis Provincialibus Provincia S. Jacobi Novæ Hispaniæ dicti Ordinis usque ad annum 1560.

Extat apud eundem M. Levanto. Et hos ut Author Tractatus adornaret è Chiapa Mexicum petijt, aspero & longissimo itinere superato, eo consilio ut & Dominicanorum & Franciscanorum Archivia evolveret, è quibus privilegia transcripsit omnia.

Dubia quadam circa Breve Pij V. concessum Fratribus Mendicantibus ad petitionem Philippi Regis. Apud Remesalium.

Decreta Concilij Tridentini quæ expressè contrariantur privilegijs Fratrum Mendicantium. Apud proximè citatum & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

Hispano sermone quæ subjicimus composuit Oputcula. *Formularium pro scribendâ licentiâ, quæ Prælatus suam subdito facultatem committit, quam vocant Omnimodam.* Apud Remesalium.

De electione canonica, juxta S. Concilij Tridentini decreta, & statuta Capituli Generalis Bononiæ 1564 habiti. Apud Remesalium & Scriptores Ordinis Prædicatorum.

Tractatus de causis criminalibus.

Alter de causis civilibus.

Alter de testamentis. Apud ipsum Remesalium.

De Arte Rhetorica. Itidem apud ipsum.

Ex his verò quæ asservantur in Bibliothecâ Dominicanâ Antequerensî

querensî primum ita habet Oputculum: *Incipit Tractatus de aliquibus resolutionibus à R. P. Fr. Alphonso de Norcña: Complectitur 18 decisiones, terminaturque sic: In Conventu de Chiapa die 6 Decembris 1578. &c.*

Secundum: *Alia dubia resoluta ab eodem Fr. Alphonso de Norcña 1576.* Continet soluta quatuor, & definit: *In hoc Conventu S. Dominici de Chiapa O FF PP. 12. Aprilis 1578: hispano utrumque sermone contextuit.*

His adjici debet hispano idioma conscriptus tractatulus: *Memoriale privilegiorum quæ Cænobium hoc S. Dominici Mexicanum habet, & eorû quæ ipsa complectuntur.* Post, quindecim affert privilegia, quibus proprias ipse Notas apponit, ut cernitur in Codice Antequerensî quo, anno 1746. utebatur M. Leonardus Levanto, in quo itidem, post alium Tractatum latino sermone conscriptum, ex his qui supra à nobis descripti manent, subjunxit 55 privilegia, de quibus sermonem in eo Tractatu fecerat.

130 D. ALPHONSUS DE OJEDA, Natione Hispanus, incomperta hætenus nobis Patria, Mexicanus ab exantlatis decumanis in Expugnatione Mexicæ laboribus, non is credendus est, qui Christophoro Columbo comes fuit, datus pro novi detectione Orbis, in quemque sæpius enavigabit, gestis rebus clarissimus. Jam enim inde ab anno 1510. obierat (nisi

si fallitur qui ejus acta conscripsit D. Ferdinandus Pizarro, in *Vitis novi Orbis illustribus* à pag. 41. ad 64 cap. octo comprehensa) Nolter verò posterioribus annis floruit, ut qui Ferdinandum Cortezium ducem secutus est in Mexicanensibus expeditionibus discriminebusque gravissimis. Egregio comparatus animo, & ad ardua quæque belli usu quotidiano expeditior atque paratior, eximiam, si quis alius, operam contulit vastissimo subjugando Mexiceo Imperio Cortezij sub signis, cui acceptissimus erat. Tlascalenfibus, qui non absque multo utrimque fuso sanguine, Hispanis demum sacrosancto amicitiae fœdere adhæserant, arctissime devinctus, eorum non multo negotio idiomatis callens, facile hæc insinuabat quæ è Cortezij nostrû que omnium te erant, quibus illi sincera obsecundare fide promptisque manibus satagebant. Hinc enata opportuna Nostris in difficillimis quibusque subsidia, atque illud in primis, quod omnium instar habendum est, quo sine, aut nunquam, aut diutissimo fere que desperato conflictu Hispani Mexicanos aqua terraque obsessos in deditionem coegissent. Scilicet, ducenta millia fere peditum Tlascalenfem in auxilium Hispanis dedere, illorumque 180 millibus Cortezij jussione præfectus Ojeda, mirum est quam viriliter & industriè, atque ad triumphum apposite se illi gesserint. Nec verò id

honoris & gloriæ gratis Nostro iuclytus Bellidux Cortezius imposuit, eo recens nomine insigni, quod Portum à Verâ Cruce dictum quinque millibus Tlascalenfium stipatus petierit, secumque tormenta bellica Tezcucum amplissimam Urbem detulerit, quibus, expeditis circum Mexicum lacum navibus tredecim, ex arte milites uterentur. His multisque conspicuus facinoribus alijs, de quibus sparsim, pro ut res ferunt & varij casus, Torquemada meminuit tom. 1. Monarchiæ Indiæ; scriptis quoque monumentis inclaruit, videlicet:

De Nove Hispania Expugnatione,

Uti ex memorato mox Joanne de Torquemada & Antonio de Herrera tradit Antonius de Leon Pinelo in Bibliotheca Occidentali tom. 2. col. 603. Editionis novissimæ Madritanæ.

131 F. ALPHONSUS DE ORTEGA, Natione Hispanus, cujus nos Patria latet, è Provincia S. Francisci Granatensi in ejusdem Ordinis Goatemalensem SS. Nominis JESU transfatus, Domicilium adeptus est Mexicanum. Publici Juris fecit, quam hispanè dixit

Concionem de Sancto Petro Paschasto Ordinis B. V. de Mercede: In ejusdem Cœnobio de Goatemala cultus inclyti sui Instituti Alumni festivâ & solemnî pompâ non unâ tantum die celebrante. Goatemalæ typis Josephi de Pineda Ibarra 1673. in quarto.

132 D. ALPHONSUS DE LA PEÑA PERALTA, Natione Mexicanus & Patria, Metropolitanæ Ecclesiæ à Ratiocinijs, ut numeris nedum arithmeticis ageret, sed poeticis etiam luderet, unâ cum Petro Fernandez Ossorio, ejusdem Ecclesiæ Præsbytero, pro adornando fornice triumphali Illmò. Archipræsuli D. Fr. Payo Enriquez de Ribera, Poematâ conscripsit, quæ postea edidit, juncto eorum glossario oratione solutâ argumentum omnibus numeris explicante, pandenteque latentia in credito quondam numine, quod Pan antiqui dixere, symbola, laudando opportuna Principi suo. Titulum Opusculo fecit:

Mysticus Pan, numen symbolicum, & politicum simulacrum: pompa triumphalis ab Ecclesiâ Metropolitana Mexicæ à Illmò. ac Rmò. D. D. M. Fr. Payo Enriquez de Ribera, Archiepiscopo suo ornatissimo, erecta, dicata. Mexici ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon. 1670 in quart.

132 D. ALPHONSUS RAMIREZ DE VARGAS, Natione Mexicanus, Mexici nobilissimis Genitoribus usus est. Christianis à tenera ætate imbutus moribus, & non solum humanioribus litteris, sed etiam divinis apprime doctus, & ingenio acutissimo atque ad omnes scientias aptissimo, omnigenâ floruit eruditione, qua sub inde, & moribus clarissimum virum decentibus, spectabilem se primarijs quibusque & eruditiss.

simis, sive ex utroque Clero, sive ex profanorum statu, ipsis etiam exhibuit Principibus. Multa ingenij & doctrinæ monumenta reliquit, quorum nobis nota sequentiâ damus, pleraque cum hispano, tum etiam romano sermone conscripta, & partim ligatâ, partim oratione solutâ.

Sacrum monumentum erecti à fundamentis Mexicani Templi Monasterij Virginum à S. Bernardo nuncupatarum.

In quo & Sacram Adem magnificentiâ D. Josephi de Retes Largache & hæredum pulcherrime & solide constructam describit, & octiduum solennissimum in ejusdem Dedicatione amantissimâ ob oculos ponit narratione. Mexici Formis Viduæ Franciscæ Rodriguez Lupercio 1691. in quarto.

Zodiacus illustris, triumphalis moles Excmò. viro D. Josepho Sarmiento Valladares, Comiti de Motezuma & Tula, Pro-Regi Mexicano excitata ab Ecclesiâ Metropolitana ipsam solennissimè recipientes.

Atque in hæc opella Principem obumbrat præclarum solarijs radijs, quæ Hercules depingit labores, cœu gradientis per Zodiacum Solis progressus. Mexici Litteris Joannis Josephi de Guillena Carrasco 1696. in quarto. Extat tom. 86. Collect. nostræ.

Simulacrum historicum & politicum Principis sub ænigmatæ Cadmæ latentis, pro inaugurando Novæ His-

pania Pro-Rege Excmō. D. D. Gaspare de Sandoval, Silva & Mendoza, Comite de Galve, Metropolitana Ecclesia Mexicæ sumptibus erectum, Mexici, Formis Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1688. in quarto. Habetur tom. 63. Collect. nostræ.

Elogium panegyricum, atque In-elyi admiratio Anea, amplissimi scilicet viri Comitis de Mancera, Pro-Regis Mexicani, ab Urbe inde Mexicanâ, faustissima ei optante, suscepti. Mexici, ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1664. in quarto. Extat tom. 92 memorata Collect.

Enarratio historica, allegoricæque descriptio spectaculorum Mexicanensium, quæ in Caroli II. Hispaniarum Regis exordio in Monarchia administratione insituta fuerit. Mexici ex typographia Viduæ Bernardi Calderon 1677. in quarto. Extat tom. 56. Collect. nostræ.

Descriptio festivissimi adventus redidusque miraculis claræ SS. Imaginis V. Deiparentis sub titulo de Remedijs. Mexici anno 1668. Et Gadium apud Hieronymum de Peralta 1725. editionem hanc procurante, sumptibusque agente D. JOSEPHO DE BARREDA, in Asturibus nato, Mexicanis adscripto, erudito satis & studioso, Alphonsique nostro in primis, & Doctis quibusque addictissimo. Habetur tom. 63. dictæ Collect.

Poetica descriptio ludorum, qui Mexici publicâ lætitiâ sunt habiti die nataliâ Catholicæ Hispaniarum Re-

gis Caroli II. Mexici, ex Officina Joannis Ruiz 1670. in quarto. Legitur tom. 76. Collect. nostræ.

FR. ALPHONSUS DE LA REA, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, Instituta Regularis Observantiæ Seraphici Patris Francisci sectatus in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Regni Michoacanensis, postquam multam illi lucem astudit Philosophiæ Cathedralis & Theologiæ præpositus, alijsque rite obitis Superiorum jussu muneribus, Superior etiam ipse merito præfectus Familiæ splendorem adauxit. Ut vero abundantius multo totam illustraret, gravissimos ejusdem vitos jam pridem vita functos jussu est facere redivivos, Vitis scriptis, quas diligentissimè litteris consignavit. Veritati conscribendarum rerum, quæ primas tenet in Historia partes, adeo inhæsit, ut nihil nisi penitus exploratum in Librum conjecerit. Stilo illum fluido composuit & eleganti, ac nullas, quæ lectorem morentur & stomachum movant, digressiones in opere offendimus, quæ subinde dotibus est dignum pretio: hispano ei sermone titulum dedit

Chronica Ordinis Seraphici Patris S. Francisci in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensi Nova Hispania. Mexici, in Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1643. in quarto. Alias, quas Bibliotheca Franciscana Joannis à S. Antonio tom. 1. pag.

30. hujus Historiæ editiones commemorat Mexicanas de anno 1635. & 1651. itemque Matritensem, cujus recitet annum, non vidimus; putamusque illam de anno 1635. positam Amanuensibus aut Typographi errore, quod facultas imprimendi Librum facta fuerit Authori anno 1639. Edidit quoque

Panegyrim de S. Clara Virgine. Mexici mox indicatis typis anno 1646. in quarto. Authorem laudat, testaturque præfuisse suæ Provinciæ Michoacanensi, accuratissimus nudipes P. Balthasar de Medina, in Chronicis Reformatorum S. Didaci Provinciæ Mexicanæ fol. 255. col. 2. Meminit etiam Authoris & Chronicorum Leon Pinelo, seu additores ejus Bibliothecæ Occidentalis tom. 2. col. 754. qui tamen, & in cognomine errant scribentes Roa pro Rea, & in anno editionis Mexicæ signantes 1635. qui quadriennio præcessit eum quo pro publicando Libro data fuit facultas Authori. Rursusque sunt delusi col. 760. alterum adducentes Alphonsum de Larrea Chronographum Michoacanensium Familiæ Franciscanorum; cum tamen unus idemque sit Author.

FR. ALPHONSUS RANGEL, Natione Hispanus, cujus natale solum recitent qui ejus memorant acta, Domicilio Mexicanus, quod è Provincia S. Jacobi Ordinis Seraphici in hanc, quæ tunc quidem coalescebat, S. Evangelij

Mexicanensem anno 1529. factè devenerit. Doctrinâ pro instruendis recens subjugatis Indis, quæ præditus erat, & eximio eorundem salutis zelo statim usus, se totum perdiscendis Mexicanis & Othomiensibus idiomatibus, quæ latius in his regionibus dominantur, felicissime dedit: nam utrumque reduxit ad artem, & primi quidem concinnavit abolutissimam, & quæ multis profuit ejus discipulis, eoque Sermones pro totius anni cursu composuit optimos; secundi verò, scilicet Othomiensis, barbari sanè & difficilissimi, adeo fuit conscius, ut in Provincijs de Xilotepec & Tula nuncupatis, earumque confinibus, hujusce Nationis hominum admodum feracissimis, primus Dei verbum nunciaverit, tanto quidem fructu, ut innumeros ipsorum ad Christi Domini Fidem tractos, sacris aquis intinxerit, cunctis deturbatis idolis, eorumque aris eversis, templisque solo æquatis. Fremebant ad hæc dæmonis sacrificuli, qui non semel necem machinati sunt Nostrò, intulissentque indubiè, ni Deus, cujus agebat causam, eis obstitisset. Cæteri propterea se Christo credidisse postea dicebant, quod Ministri ejus & palam coram frequentissimâ generis multitudinè sua tradere dogmata haud vererentur, de quibus rationem dabant sciscitantibus, expendentès cuncta & firmantes, & quod sacra mundissimè facerent, pulcher-

rimo apparuit, & politicissimo ordine rebus dispositis, quæ Dei cultum concernunt; suos contra Sacerdotes fœdissimo omnia ritu peragere, atque in tenebris delitescere, deque à se dictis rationem dare nullam. Alphonsus traditis sibi populis deditus, eos ut lucrifaceret Deo, se ipsum sanctitatis præbebat exemplar, austeritate vitæ, paupertate & patientiâ insigni, quibus fætebantur Indi, non secus ac reliquis, quæ mox insinuavimus, ad amplexandum Evangelium adactos fuisse.

135 Non semel Religiosis in triclinio sedentibus, flagellis se crudelissimè cœdens apparuit, sapius humilitatis, moderationis, charitatis, & aliarum exempla virtutum præbere solitus. Plurics regendis Cœnobijs admodus, religiosè functus munere fuit, & Tulæ pro magnifico extruendo Templo jecit fundamenta, quæ dein egregiam substituere ornatamque molem. Universam quoque S. Evangelij Provinciam Minister regendam suscepit electus in Comitibus de anno 1546. Hinc ad generalia totius Ordinis, Assisij cogenda, destinatus, ut gravissima nascentis Americanæ Provinciæ suæ & Ecclesiæ negotia tractaret, ingenti tempestate, qua vehebatur, Navi concussâ absorptus, ad Cœlum, ut pie credere est, appulit die 15 Junij ejusdem anni 1546. vcl. sequentis.

136 Vitam ejus atque scripta referunt Torquemada in Monar-

chia Indica tom. 3. lib. 20. cap. 45. & Betancurt in Menologio Franciscano Provincia suæ p. 63. n. 15. Meminerunt ipsius Joannes à S. Antonio, in Bibliothecâ Franciscanâ tom. 1. pag. 50. referens & Nicolaum Antonium & Uyadingum præter citatos, quibus addimus Antonium de Leon in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 720. qui edita affirmat, quæ subjungimus Optra, ab relatis etiâ Scriptotibus recensita, scilicet *on Mexicani idiomatis Artem. Artem & Doctrinam Christianam Othomitensum linguâ. Sermones per annum Idiomate Mexicanensium.*

137 P. ALPHONSUS RUIZ, Domicilio saltem Mexicanus, nam nos Patria lætetur & Natio, Societatis Jesu Instituta securus, Collegium ejusdem Familiæ regebat, quod in Urbe est à Verâ Crucæ dicta, Portuque Novæ Hispaniæ celeberrimo, cum eo Hispana Classis appulit circa annum Domini 1585. è qua clarissima femina Beatrix & Anna Nuñez excedentes, receptæ à germano fratre Ferdinando Nuñez de Montalvan, nobili viro Juxtaque Medicinæ Professore, qui jam pridem in Novam Hispaniam advenerat, quæsitisque opibus, haud exiguis, ut res secum fruerentur sutores vocaverat, ipsæ ut erant devotissimæ, proinus Templum Jesuitarum frequentare cœperunt, Nostrumque conscientiarum arbitrum delegere. Earum pri-

ma Matrimonio juncta viro fuit è primarijs ejusdem Urbis; secunda Virginitatem custodire decrevit, & Deo quantum posset intervire diligentissimè. Pauca sibi præsto aggregavit eodem ferventes spiritu socias, quæ cum à Nostris, tum ab alijs ejusdem Instituti Sodalibus, ut Christianæ perfectionis viæ insisterent, regebantur. Tanto dein ardore succensa fuere, ut Angelopolitanum Antistitem D. D. Didacum Romanum, rerum Veræ-Crucis Ecclesiasticarum portientem, Epistolis rogarent, dignaretur ut, facultatem ipsis concedere vota emittendi castitatis, clausuræ, & obedientiæ, quam ipsi Prælo spondebant, habentes in animis semetipsas Domi contineri perpetuo, munditiemque corporis & animæ itidem colere. Moratus non nihil Episcopus fuit, grave ut maturaret negotium, donec certior factus de ipsarum indole atque virtute, postulatis annuit, erectumq. canonicè Sodalitium, non multo post, anno videlicet 1604. evasit in eximium Terefianarum Virginum Monasterium, quod Angelopoli fuit erectum, convolantibus illuc pissimis feminis, quæ Carmelitarum instituta sanctimonialium primæ in America nostra sectatæ sunt, cujusque initia & progressus per integrum seculum, egregia scilicet & religiosissima perfectionis, justo in folio Volumine complexus est vir amplissimus D. Josephus Gomez

de la Parra, qui Dei admiratus consilia, advertit, ipso astatum Spiritusanto Nostrum Alphonsum Regulas illis feminis præcipuisse, non dum Carmelitanas professis, quæ istis consonant mirè, decebantque strenuum Directorem, qui ipse erat, doctumque Magistrum, cujus & si alia latent scripta, hoc unum insinuasit suffecerit, exiguo quidem corpore multos fovente egregios spiritus. Leges Gomezium de la Parra citatum in Libro *Erectionis & primi seculi Cœnobij admodum Religiosi S. Josephi excalceatarum virginum Carmelitarum Urbis Angelopolitanae*, cum alibi à principio, tum signatim p. 27. ubi à Nostris scriptas commemorat

Regulas pro Sodalitio Virginum in antiqua Veræ Crucis Civitate, Ordinaris facultate, instituto.

138 D. ALPHONSUS RUIZ DE LA LIMA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, atque, ut videtur, ejusdem Dicesis Ecclesiastici Fiscus defensor, & Causarum Patronus in Regia Mexicanensi Cancellaria, edidit pro illius temporis consuetudine in hujusmodi Opusculis publicandis, tacitis loco editionis, typographo, & anno, Codicem in folio juridicum, qui ex rei gestæ atque in ipso enarratæ epocha, colligitur excussus anno Domini 1647. & in ipsa Urbe Angelopolitana, uti characteres, qui tunc inibi erant usui, indicant satis. Porro titulus Opusculi ex hispa-

no. in latinum versus ita habet:
Pro Ecclesiastico Fisco declaratio, defensione Edicti à Doctore Joanne de Merlo Canonico Doctorali, Vicario que generali Angelopolitani Episcopatus, publicati, circa Facultates & Privilegia Societatis Jesu Patrum ad excipiendum sacras secularium confessiones, & Dei verbum nunciandum.
 Extat tom. 2. Allegationum à nobis collectarum.

139 FR. ALPHONSUS DE SOLANA, Natione Hispanus, cujus & Patriam & Parentes latere sibi dicit Cogolludo, qui omnium fufus ejusdem res gestas scribit in Historia Jucatanensi lib. 9 cap. 15 a pag. 150. conjectante D. Nicolao Antonio pag. 39. tom. 1. Bibliothecæ Hispanæ, à Solana Toleranæ Diocesis Oppido oriundum; Domicilio Mexicanum habemus. Salmauticæ Canonico juri addiscendo operam dedit, laureamque reportavit ea mente, ut honores inde ac opes conquiret: Quod verò Apostolicum virum concionantem audierit, periculumque amittendæ salutis æternæ expendentem illorum, qui segnius confectantur cœlestia, caducis avidius inhiantes; consuleret sibi decrevit, & Sancti Francisci Institutum amplecti. Voti compos factus, in Provincia Castella Regularis Observantiæ Conventuque S. Joannis à Regibus professionem emisit. Inde in eisdem Provinciâ Conobium de la Salceda, ut dicunt, Recollectorium, austerioris desiderio vite

translati, cum Pro Jucatanensi Provinciâ supplementum quaereret Religiosorum, qui converteendis & juvandis Indis adlaborarent: quamvis ad id invitatus muneris fuerit, subire illud recusavit, propterea quia imparem se tanto operi sentire dicebat. Alios inter accinctos itineri eminebat sodalis ejus P. Didacus de Landa, qui postmodum Episcopus Jucatanensibus datus fuit: Is ubi ad illas appulit gentes, in quibus Nostrum optimos relaturum fructus opinabatur, urgere illum litteris cepit, Deumque exorare qui bonam ei mentem miseris adjuvandi instruendique injiceret. Nec porro irrita preces fuere viri religiosissimi: siquidem Fr. Laurentio de Bienvenida, iidem Franciscano, Hispaniam perente, ut secundò pro Jucatanensi Familiâ Socios vocaret, eos inter, Noster ultrò invitanti se dedit.
 140 Facili quidem ipse negotio gentis idioma calluit; cujus tandem fuit Magister egregius. Vitam instituisse cœlestem Socij testabantur, mirantes de cœlestibus semper agere, austerum quidem sibi, parcum, & humilem, cæteris benignissimum, queis, ut in quotidiana consuetudine utilis esset, festivè agebat, sale condito, quod Apostolus monebat, sermone. Indos singulari amore prosequabatur; peccatores quoque Deo satagebat ut reconciliarentur, pauperibus stipe erogata pauper ipse ut subveniret, Monaste-

rio-

riorum, quibus pluries Superior est datus, cellas aperiebat penurias, & quòd subesse quam preesse magis amaret, Prælaturis statim renuntiabat. Integras ferme noctes traducebat orando, mirantibus Fratribus, qui quando ille dormiret se nescire dicebant. Dies lectioni, scriptioni, idq̄ religiosi & apostolicis alijs operibus destinabat, atq̄ his deditus amplius quadraginta annis, circiter 1600 curriculum felicissime consummavit Emerita, quæ primaria est Civitas Jucatan, in Conventu suo, ubi jacet, magnâ Sanctitatis opinione ad præsentem usque diem perennante. Multa Jucatanensium linguâ scripsit & utilia elegantè sermone, quorum textu iniquulum allatus supra Didacus Lopez Cogolludo p. 511. & ipsum scripti Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispanâ p. 39. & Joannes à Sancto Antonio in Franciscanâ pag. 51. Sunt illa porro
Dictionarium idiomatis Mexi Hispani.
Sermones eodem Jucatanensi idiomate continuati, & seorsim multi.
Notas seu Excerpta sacra & historica.
Multaque præterea antiquitatis & gentis illius monumenta, quæ perire juxta citatum Didacum, apud quem P. Lizanam, iidem Franciscanum (de quo nobis sermo crit) Nostri laudatorem invenies.

141 FR. ALPHONSUS DE TRIANA, Natione Hispanus, incomperato nobis Beticæ loco na-

tus, Provinciâ S. Vincentij de Chiapa & Goatemala, Ordinis Prædicatorum alumnus, apud Verapaz eo insignis fuit nomine, quòd strenuum egerit Parochum pro ministrandis sacris genti, cujus eloquio, cæterâ non omnibus obvio, Cocchi dicto, pollebat, quæque usus eorundem prospiciens institutioni, & aduersus Deiparentem pietati, librum scripsit
De SS. Rosarij mysterijs.

Quem Ministrorum manibus teri memoratâ Provinciâ Sodales suis nos litteris edocuerunt.

142 FR. ALPHONSUS TRUXILLO, Natione Mexicanus & Patria, ex antiquioribus Provinciâ S. Evangelij Regularis Observantiæ Franciscanorum alumnus, vir fuit admodum religiosus, & qui in procurandâ Indorum præcipue salute gloriose in Domino laboravit. Quâ enim viva voce illis ut prodesset, quâ scriptis sermonibus eorundem idiomate, sex supra viginti & amplius annos inlumpfit. Vastum quidem agrestis opus, quod juvenel Stephano Brabo, Indo latine satis docto (de quo suo loco sermo nobis recurret) ad finem deduxit, Sermones videlicet quatuor aut quinque in singulis anni Dominicis, itemque totidem in singula Festa. Eos ut publici fierent juris tradidit omnes Provinciæ Præsidi Fr. Petro Oroz, viro ornatissimo, qui ut erat etiam in idiomate Mexicano satis excultus, lectos probavit, & trascribi ita

Aa

justit,

juſſit, ut prælo apti eſſent: Ipſo tamen ad plures abeunte, editio- ne fruſtratâ, Author Codices exi- mio communicavit Fr. Joanni Baptiſta, qui & ipſe eorum ali- quos edidiſſet, ni morte quoque præventus rem infectam reliquiſ- ſet. Ne tamen Noſtri memoria excideret, ipſius & ſcriptorum re- xuit elogium in Proœmio ad *primam partem Concionum*, quas edi- dit Mexici anno 1606. ex quo Betancurtius in Theatro Mexi- cano part. 4. Tractatu poſt *Memo- logium, de Illuſtribus Provincia ſua Scriptoribus* p. 104. n. 25. profe- cit, & ex hoc Joannes à S. An- tonio in Bibliothecâ Franciſcanâ tom. 1. p. 52. recensentes No- ſtri ſcriptos

Sermones in ſingulas anni Domi- nicas & ſingula Feſta idiomate Me- xicano.

143 P. ALPHONSUS DE VA- LENCIA, Mexicanus Domicilio, ſimilinus Natione & Patria, quas neſcimus, JESU Societatis alum- nus in Provincia Novæ Hispaniæ, Mſs reliquit ſermone vernaculo *Narrationem hiſtoricam eorum que Gaſpari de Alvear Novæ Cantabriæ Gubernatori, ſocijsque ejus evenire in itinere verſus Indos Tarabumares di- ctos anno Domini 1619.*

Quæ aſſervantur in Bibliothecâ Congregationis Oratorij Me- xicanenſis tom. 1. *Variarum hiſto- ricarum enarrationum.*

144 D. ALPHONSUS DE VAR- GAS, Natione Patriaque Mexica- nus, in Regia Mexicanenſi Cu-

ria Patronus cauſarum, conſcri- pſit opuſculum hiſpano ſermone

Pro Juris deſenſione quo Didacus de Puga Villanueva aſciſcendo ſibi Majoratu, ut dicunt, ſeu Primogenijs bonis, potiri contendebat.

Extat Mſs in fol. tom. 24. fol. 48 Collectionis D. Ludovici de Mendoza.

145 ILLMUS. M. D. FR. AL- PHONSUS A VERA CRUCE, Na- tione Hiſpanus, Patriam habuit in Regno Toletano Caſpucias dictam, Domicilium Mexici & No- men admodum clarum, Cogno- menque Illuſtre: Nam genitore uſus Franciſco Gutierrez, matrè que Eleonora Gutierrez, hoc ipſi à cunabulis natum cognomen depoſuit, ubi ad Urbem Ameri- cæ noſtræ à Verâ Cruce nuncu- param acceſſit, quo inſigniri pla- cuit, habitum unâ avitumque ſignum familiæ commutans. In- genio & virtute conſpicuus à te- neris, piè quidem educatus à Pa- rentibus, Chriſtianis conſpiciis moribus æque non anguſto pro liberaliter tractandâ familiâ, Clariffimam Complutenſium Aca- demiam pro addiſcendis Gram- maticâ & Rhetoricâ excoluit: In- de in Celeberrimam Salmantice- ſium Univerſitatem tranſlatus Philoſophiæ & Theologiæ opè- ram dedit. In qua Præceptorem audivit Franciſcum de Victoria, Dominicanum Clariffimum, Aca- demicæ Antecęſſorem inſignem, & Hiſpaniarum decus Illuſtre, quod Myſtagogus fuerit, & in- ſta-

ſtaurator Theologiæ Scholaſticæ, ad miraculum deinde & invidiam Nationum in ipſis quotidiano in- cremento florentis. Ab hoc, cui gratiffimus erat Alphonſus, Ma- giſterij gradum accepit: atque ut egregius evaſerat Philoſophiæ & Theologiæ cultor, brevi pro re- gendâ Artium Cathedrâ destina- tus Profeſſor fuit, tantâque cum litterarum & virtutis laude mu- nus obivit, ut is unus à præcla- riſſimo Duce del Infantado ele- ctus fuerit, qui filiorum ipſius, Salmanticam ſtudiorum cauſa miſſorum, curam ageret, eoſdem que in moribus & doctrina in- ſtituendi provinciam, ſplendido ſtipendio, ſuſciperet.

146 Vertebarur annus 35 ſe- culi XV cùm hæc Noſter Salmanti- cæ ageret, quò, Deo ſic res diſpo- nente, acceſſit Venerabilis Fr. Franciſcus à Cruce, Auguſtinianus, ab America noſtra, in quam biennio ante ipſe cum Sodalibus navigaverat, in Hiſpaniam rever- ſus, eo conſilio, ut graviffima tractaret negotia, ſecumque Reli- gioſos deſſeret, qui Socijs juva- mini ferent, & Indis auxilio. De- legit ille quidem egregios è Fa- milia ſua viros, præter quos Cle- ricum optabat virtute exornatum & litteris, qui tradere eas ipſis poſſet expediſſimè. Ubi amicis ſuggerentibus agnovit nullum ad id muneris aptiorem Alphonſo, rogare illum cœpit, dignaretur comitem ſe in Occidentis Indias ſuis Fratribus jungere, & quam-

vis non ſtatim, brevi tamen ei pa- ruit Noſter, commodisque poſt habitis ſuis atque ſpe honorum & opum, vocantem ſecutus eſt Deum. Hinc obiter animadver- tendum, lapſum fuiſſe D. Nico- laum Antonium, quòd exiſtima- rit Alphonſum è Complutenſi Ar- tium Profeſſore delatum ad In- dos, cùm Salmanticæ eo fungere- tur munere dum Auguſtinianus Procurator ſuis cum adſcivit. Ut verò inſtituto etiam ipſis junge- retur & habitu navigantem ver- ſus Mexicum ſollicitavit, reniten- tem eo nomine, quòd Dei, quæ opus erat, vocationem non ſen- tire ſe diceret, quam ut mox co- gnovit, ſeſe totum dedit ſancto Dei viro, qui hæc illi datâ dex- terâ prænuſciaverat.

147 Portum Veræ Crucis re- nentes, Alphonſus veſte nomine que mutatis, ſe illis addixit, at- que expleto in Conventu Mexi- canenſi tyrocinijs anno, ſolennia nuncupavit Deo vora. Tanta jam ex tunc virtus & dexteritas elu- cebat in eo, ut ſtatim Præfectus fuerit Novitiorum institutioni, quam trienno curavit, egregijs religioſa & admodum reformata: Provinciæ SS. Nominis JESU in- crementis. Hinc ad docendum litteras evocatus, quo primum apertum eſt Provinciæ gymna- ſium anno 1540 apud Tiripitium, Regni Michoacanenſis Oppidum, tribus inſimul incubuit muncris- bus: nam & Philoſophiam alijs, & alijs Theologiam tradebat So-

dalibus, & exteris etiam (quos inter Regium habuit discipulum, Calzonezzi, Regis scilicet filium) & Magister ipse idiomatici gentis Tarasco operam dabat perdilcendo, adeo quidem strenuam, ut deinceps ipse uteretur in concionibus & Sacramentorum administratione, quibus se pijs exercitationibus feriat ab studio diebus impendebat. Per hæc ipsa tempora tantum erat Alphonsi nomen, ut agentem & legentem Tiripiti Regia Caroli V scheda inveniit, ipsum Ecclesie Leonis de Nicaragua Episcopum destinantis, quam ut secretò legit, audientibus, qui aderant Religiosis, inquit: *Ab ore Leonis libera me Domine, & ingressus collarum scripsit, Imperatori grates rependens, se tamen infulis delatis cæteris que, quæ se indignum credebatur, subducens. Non potuit tamen quin id honoris tunc etiam obiret, quod Michoacanensis primus Episcopus D. D. Vasco de Quiroga in ipsum detulit. Convocaverat Summus Pontifex Paulus III Catholicos toto terrarum Orbe stantes Episcopos, uti ad Generale Concilium, quod Tridenti agebatur, concurrerent; atque ut eò se conferret Michoacanensis, Diocesim suam Nostro gubernandam dimissit, quam novem ipse mentes prudenter rexit, perrexissetque ulterius, ni Illmùs, Vasco coactus fuisset regredi è Portu Veræ-Crucis, quod aqua in Navem per rimas influens naufraga-*

giù facile auguraretur, nec tutior suppeteret navis. Alphonsus quamvis definitum pro Philosophiâ & Theologiâ auditoribus instillandâ tempus eo loci absolverit, alibi quoque eandem rursus spartam ornavit, ministerio juxtâ sacrorum incumbens Tacambari, unde in Atotonilcum Scholam transferri author fuit Prælati, ut quietius studijs vacarent discipuli eo tempore scilicet, quo Ministrorum pro sacris excreverat numerus, pro quibus non ita opus erat tyronibus.

148 Nec penes suos tantùm docendi professus est munus, quo solennius multò defungi cepit anno 1553. cum Regia & Pontificia Universitas Mexicana condita fuit. Quod enim in doctrinâ & virtute publicâque existimatione nulli esset secundus, primos inter illius conditores adlectus est, cooptatusq; Doctoribus in Theologiâ, atque in Philosophiâ Magistris ab Academicò Cancellario viro Clarissimo Alvaro de Tremiño, coram Illmò. D. D. Ludovico de Velasco, Novæ Hispaniæ Pro-Rege, Joanne de Negrete, Scholarum Rectore, & Gravissimis alijs Minervæ cultoribus, ac primus pro Sacris exponendis Biblijs Interpres est datus, dein Primarius Theologiæ Antecessor, quibus regendis Cathedris undecim annos invigilavit, donec Hispaniam reperere, & toridem in ea ponere opus ei fuit. Quo autem in pretio habitus ab Academia

mia fuerit, paucis docet D. Franciscus de Cervantes Salazarus, ejus æqualis, & primus Rhetoricæ Professor, in eo quem de Academia conscripsit Dialogo, fol. 251. col. 2. hunc in modum Guerrerium & Messam suos inducens colloquentes. *G V. Quem tot Augustiniani Monachi, unâ cum alijs Presbyteris audituri Theologicum gymnasium ingrediuntur? M E. Fratrem Alphonsum à Vera-Cruce, Artium & Theologiæ, si quem habet Provincia nostra, Magistrum doctissimum, Primum sacratissime ac divinæ Scientiæ Interpretem, variæ & multijugæ eruditionis hominem, in quo virtus eximia cum singulari & admirandâ doctrinâ contendit. G V. Felicissimum virum mihi narras, & tantâ, præter cætera, sicuti audio, modestiâ, ut omnes admiretur, contemnat neminem, modicè semper desensentiens. Ita ille.*

149 Noster verò eximios statim edere fructus cepit, & cum Academiam, tum etiam Provinciam suam datis in publicum libris doctissimis illustrare, integro videlicet *Philosophiæ cursu* justo volumine in folio, & *Speculo conjugiorum* in quarto excussis, atque ut se & Provinciæ & Academiæ & utriusque Protectori faventissimo gratum exhiberet, *Summulis* quidem nuncupatis Augustiniani Religiosis Provinciæ suæ, *Dialecticam* Universitati dicatam voluit, & *Speculum conjugiorum* Pro-Regi. Sic porro Academiam alloqui incipit: *Cum se-*

pe mecum præmeditaret, Rector magnifice, Doctores clarissimi, Magistri que gravissimi, cui Resolutionem dialecticam, quam in utilitatem eorum quibus brevi ad veram sapientiam, & scientiarum Reginam Theologiam pervenire in animo est, dicarem; spontè sese obrulit vestrum hoc auspiciatissimum Collegium & Schola, ex vobis veluti ex vivis quadratisque lapidibus nuper erecta. Cumque in eodem albo simus adscripti, in idemque dignissimum Sodalitium admissi: quam promptus sim in vestrum quoque obsequium, & communis ac floridæ Academiæ emolumentum, ne ingratitude nota inuratur, opere restari & ostendere consentaneum duxi atque decorum, &c. Ad Pro-Regem verò Illustrissimum D. Ludovicum à Velasco ita in Nuncupationis calcæ scribit: Caroli Imperatoris & Hispaniarum Regis locum tenens, hanc Mexicanam Academiam instituisi, & prima jecisti Tu fundamenta, ut non solum primitiæ tibi merito, sed fructus laborum debeantur. Recipe ergo ex clientulo, Patrone Illustrissime, ex hac Academia primitiæ Speculum conjugiorum; &c.

150 Sanè plurima licet, quæ insinuavimus, & oppido gravia virum negotia sollicitarent, unum videbatur diu noctuque agere litterarum: vix quatuor somno horas dabat, peræpeque suis repetebat: *Habete rationem temporis*, quo ipse usus strenuè, & in virtute eximios, & pene incredibiles in litteris fecit progressus. Insignem in Collegio S. Pauli Mexicæ, cu-